

CAPUT IV.

De Forma & Modô, quô Potestas Ordinis exercetur.

SUMMARI A.

1. Ordinatio extra tempora justificatur ex indulto Apostolico. 2. Recensentur causa, ex quibus concedi solent. 3. An indulta perpetua sint revocata? 4. Deciditur negativè. 5. Ordines extra Missarum solennia validè conferuntur. 6. & 7. An etiam licitè conferantur? 8. & seqq. Utrum validè ordinetur, qui laborat impedimentô occultô?

QUÆSTIO I.

Qualiter Ordinatio extra tempora sit licita?

1. Ordinationes extra tempora, à SS. Canonibus præfinita, fieri possunt licitè, quando vel Episcopus ordinans indultum obtinuit, Ordines extra tempora conferendi; vel ordinandus simile indultum accepit, Ordines extra tempora suscipiendi. Solent autem ejusmodi indulta juxta decretum particularis Congregationis, ab Innocentio XII. deputatæ de Anno 1693. die 14. Decembris relatum apud Petram d. tom. 5. pag. 257. num. 21. concedi sequentibus; videlicet si quis beneficium habuerit, vi cujus arctatur ad Presbyteralem Ordinem suscipiendum; vel etiam aliud perpetuum beneficium, vel Capellaniam, ad vitam sibi concessam, obtinuerit, cui per se ipsum inservire debeat; item ob penuriam Sacerdotum in illis partibus, vel in Monasterio pro Regularibus; item ob solatium patris, vel matris, dummodò quinquaginta annos excedant, & Orator saltem per triennium in clericali habitu honestè & laudabiliter vixerit; item pro Canonicis Cathedralis vel etiam Collegiatæ Ecclesiæ, eorumque Coadjutoribus, Magistris, seu etiam Baccalareis in Sacra Theologia, Doctoribus utriusque, vel saltem Canonici Juris, seu Licentiatis, dummodò

singulos præfatos Gradus in publica & approbata Universitate obtinuerint; item pro illis, qui saltem per triennium sedulam Theologiæ studiis operam navaverint; ac tandem vigesimum sextum ætatis annum excedentibus, si per triennium in clericali habitu honestè & laudabiliter fuerint conversati.

Hujus generis indulta quoque per modum dispensationis perpetuæ à Summis Pontificibus aliquibus Ordinibus Regularibus sunt concessa, de quibus tamen, si primùm post Concilium Tridentinum emanaverint, multùm inter DD. hucusque disputatum erat, an non per idem Concilium sess. 23. de Reformat. cap. 8. fuerint abrogata? Prout videre est apud cit. Petram pag. 258. num. 23. & seqq. Sed hodie cessat omnis disceptatio, postquam Sanctiss. D. N. Benedictus XIII. in Concilio Romano sit. 5. cap. 2. decrevit: quò verò ad Regulares, privilegia à Summis Pontificibus habentes, sive expressè sive per viam communicationis concessa, Sacros videlicet Ordines extra tempora recipiendi, cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constat, Regulares eosdem, absque novo indulto Apostolico, tunc posse extra tempora ordinari.

QUÆSTIO II.

An & qualiter Ordinatio fieri debeat intra Missarum solennia?

1. Resolutio petenda erit ex hoc cap. à n. 61. quòd nempe id sit de præcepto Ecclesiæ, non autem de forma & substantia Ordinationis; idque certum, ac in casu pratico decisum esse, patet ex Eminentiss. Petra d. tom. 5. pag. 289. n. 41. Apostoli enim solum per manuum impositionem dabant Spiritum Sanctum. Quia verò in num. 67. & seqq. retuli Auctores, asserentes, in quibusdam circumstantiis licitam quoque ordinationem esse, etiam si Ordinans ipsemet non celebret, sed per alium Presbyterum Missa dicatur; advertere consilium duxi, hanc sententiam

à S. Congregatione, si illuc deferretur, fore tèm improbandam fore: refertur enim ab eodem Petra pag. 288. num. 37. casus de quodam Hiberniæ Episcopo, qui ob decrepitam ætatem lumine omninò orbatu, & inhabilis ad quamlibet functionem, pluribus Sacros Ordines contulit absque celebratione Missæ, aliò Sacerdote celebrante, & legente verba Ordinationis, ab Episcopo cum Sacris cæremoniis repetita; fuitque hic Episcopus judicatus valde culpabilis, etiam si censuram aliquam, cum nulla reperiretur à Jure statuta, de facto non incurreret.

QUÆ.



QUÆSTIO III.

Utrum validè ordinetur, qui laborat impedimentô occultô, si Ordinans per se vel alium protestetur, se nolle ordinare indignos?

8. Dubium hoc resolvendum ex dictis in hoc cap. à num. 38. agitque de eo prolixius Eminentiss. Petra cit. tom. 5. pag. 281. num. 2. & seqq. Cum verò de intentione Ordinantis dubitari possit, an sit vera & seria, an verò solum ad terrorem facta sit protestatio? Hinc cit. Petra pag. 282. n. 6. tutius arbitratur, si ordinatio sub conditione reiteretur, licet opinio, favens ordinationi validæ, esset speculativè probabilior; præsertim ubi agitur de Presbyteratu, ex cuius

invalida collatione, in magnam animarum perniciem, innumeri alii actus invalidi sequerentur: itaque à Sacra Pœnitentiaria servari, testatur Pignatell. tom. 4. cons. 140. num. 6. Quamobrem Sacra Congregatio in casu sibi proposito, quò etiam Decanus attestabatur, se ab Episcopo Ordinate audiuisse, quòd hujusmodi protestationem fecerit ad solum terrorem, noluit ordinationem pro valida pronuntiare, sed rem ad Papam referri debere censuit. Petra d. l. n. 5.

CAPUT V.

De Effectu, quem producit Potestas Ordinis.

SUMMARI A.

1. Ordinati ante legitimam ætatem, extra tempora, aut sine literis dimissoriis incurrunt suspensionem universalem ex constitutione Pii V. 2. & 3. Qua tamen constitutio quoad ordinatos sine dimissoriis est immutata. 4. & seqq. Episcopus, alieno subdito absque dimissoriis Primam Tonsuram conferens, per annum à collatione ejusdem censura suspensus est. 7. & seqq. Ordinatus cum uno ex præfatis impedimentis in Sub-Diaconum, Diaconum, aut Sacerdotem, per solam ordinationem non fit irregularis. 10. Cum ordinatis ante ætatem aut extra tempora dispensat Episcopus. 11. Non obstante Bulla Sixti V. qua revocata est. 12. Quoad solam suspensionem, non itam quoad irregularitatem.

QUÆSTIO I.

An suspensio, quam incurrunt ordinati ante legitimam ætatem, extra tempora, aut sine Literis dimissoriis, sit universalis, an solam particularis quoad Ordinem susceptum?

1. Rsp. esse universalem: quia constitutio Pii II. cum ex Sacrorum de ejusmodi ordinatis universaliter loquitur, quòd, si ad aliquem ex Sacris Ordinibus se fecerint promoveri, à suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint, & si hujusmodi suspensione durante in iisdem Ordinibus ministrare presumpserint, eò ipso irregularitatem incurrant. Fagnanus in cap. vel non est de Tempor. Ordin. num. 11. & 14. Quia verò Concilium Tridentinum sess. 14. de Reformat. cap. 2. & sess. 23. cap. 8. de iis, qui ordinantur absque literis dimissoriis, distè loquitur, quòd à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sint suspensi; idque etiam dilucidè repetitur in Bulla Innocentii XII. quæ incipit: Speculatores de Anno 1694. hinc Pianam constitutionem quoad ordinatos sine dimissoriis correctam esse, cum Matthæucci de Officiali Curia Eccles. cap. 35. numer. 10. tradit Eminentiss. Petra cit. tom. 5. pag. 284. num. 11.

QUÆSTIO II.

An Episcopus, qui alieno subdito Primam Tonsuram absque literis dimissoriis confert, incurrat aliquam suspensionem?

4. Videri posset, quòd non: quia in hoc cap. num. 58. diximus, in suspensione, quam incurrit Ordinans, alienum subditum; non involvi collationem Primæ Tonsuræ. Sed perperam. Quod enim d. l. dictum est, pertinet ad Episcopum, qui alieno subdito confert Ordines Majores aut Minores; quo in eventu suspensus est per annum à collatione

Ordinum, majorum aut minorum, sed non à collatione Tonsuræ, quæ juxta nos Ordo propriè talis non censetur. At verò, si Episcopus alieno subdito ipsam Tonsuram conferat, ut in eo, in quo peccavit, puniat per unum annum à collatione Clericalis Tonsuræ duntaxat non veritè se suspensum, ut habet expressus textus in cap. ult. de Temporib. Ordin. in 6.

L 3

QUÆ.

QUÆSTIO III.

An, qui sine legitima etate, aut literis dimissoriis, aut extra tempora ordinatus suspensionem incurrit, si postea in Sacerdotem ordinetur, ipsa ordinatione incurrat irregularitatem?

- 7 **R**atio affirmandi desumitur ex prædicta Bulla Pii II. quæ, cum ita ordinatos declaret irregulares, si durante suspensione ministraverint in Ordinibus, etiam ordinatos in Sacerdotem videtur includere: quippe qui in ipsa ordinatione exercent actum Ordinis Sacerdotalis, celebrandò Missam cum Episcopo ordinante. Sicque cum nonnullis docet Ventriglia in *Annot. ad Concil. Trident. 44. num. 22.* Sed melius cum Barbosa ad *cit. sess. 23. Concil. Trident. cap. 12. num. 7.* negat *cit. Petra pag. 285. num. 19.* tum quia

non potest in rigore generaliter dici ministrare in Ordine, qui eum primùm recipit: tum quia specialiter pro Missa propria talis non habetur ab Ecclesia, quam Presbyter in actuali ordinatione cum Episcopo concelebrat, sed potius pars esse reputatur Sacerdotalis ordinationis. Idemque de receptione Diaconatus aut Sub-Diaconatus tenet idem Petra *n. 20.* tamen enim horum Ordinù functio fieri censeatur post totam ordinationem, moraliter tamen loquendò fit infra ordinationem, quæ durare censeatur, quamdiu Missa durat.

QUÆSTIO IV.

Quis dispenset cum ordinatis ante legitimam etatem, aut extra tempora?

- 10 **D**ispensare posse Episcopum Ordinantem, quoad suspensionem, dummodò non fuerit ipsemet culpabilis, docet Barbosa ad *Concil. Trident. sess. 23. de Reformat. cap. 12. num. 22.* quia neque in dicta Piana constitutione, neque in Jure Communi hæc dispensatio fuit Summo Pontifici reservata. Et quamquam in Bulla Sixti V. facta sit reservatio contra malè promotos; ea tamen à Clemente VIII. ad terminos illius Piane & Concil. Tridentini revocata, & redacta noscitur. Petra *pag. 286. n. 21.*
- Dixi: quoad suspensionem: siquidem irregularitatem, quæ oritur ex ministerio in Ordine, malè suscepto, non alius tollit, quam Summus Pontifex; præterquam si fuerit occulta, in qua post Conc. Trid. *sess. 24. de Ref. c. 6.* dispensat Episcopus. Petra *pag. 287. n. 28.*

CAPUT VI.

De Impedimentis, quæ Potestati Ordinis sunt Contraria.

SUMMARI A.

1. *An illegitimè natus, ministrans in ordine suscepto, duplicem contrahat irregularitatem, & duplici dispensatione opus habeat? Ratio affirmandi. 2. & seqq. Decisio negativa cum ratione. 5. & seqq. Illegitimus non eget dispensatione ad acquirendam pensionem. 7. & seqq. Nati, ex patre illegitimo, censentur esse legitimi.*

QUÆSTIO I.

An illegitimè natus, si in Ordine malè recepto ministret, contrahat novam irregularitatem, & sic duplici dispensatione indigeat?

- 1 **D**ixeris fortè, quòd contrahat: cum enim ex solo legitimorum natalium defectu sit irregularis, eaque propter suspensus ab Ordinum exercitio per notata Fagnani in *cap. nisi de Renuntiat. n. 80.* subintrat regula ex *cap. latentes 4. & 1. de Clerico excommunicato ministrante*, quòd ministrans in ordine, à quo suspensus est, irregularitatem novam incurrat.
- 2 Verùm aliter, & quòd non contrahat, rectius dicunt Eminentiss. Petra ad *Const. Apo-*
- stol. tom. 4. pag. 318. n. 19.* & citati ab ipso: quia irregularitas regulariter non parit aliam irregularitatem per ea, quæ tradit Fagnanus in *cap. si quis presbyter cit. tit. num. 4. & 5.* nisi Jure sit cautum, aut censuram propriè dictam habeat annexam; sicque etiam irregularitas, ex natalium macula proveniens, non pariet novam irregularitatem: eò quòd neque textus Juris suffragetur, neque suspensio, quæ innodantur illegitimi, sic vera censura, supponens delictum grave &

Quis dispenset cum ordinatis ante legitimam etatis, &c. 87

& personale, sed impedimentum duntaxat canonicum, obstant Ordinibus receptis & recipiendis. Unde, si hujusmodi spurii dispensationem à Sede Apostolica petat, sufficit, quòd natalium defectum exponat; neque requiritur, ut de exercitio Ordinis suscepti mentionem faciat. Corrad. in *praxi dispensat. lib. 3. cap. 5. n. 7.*

QUÆSTIO II.

An illegitimus opus habeat dispensatione ad consequendam pensionem?

- 5 **N**egant innumeri ferè cum Eminentiss. Petra *cit. tom. 4. pag. 321. num. 30.* quibus Rota Romana frequentibus decisionibus patrocinatur, ipsaque Sacra Congregatio: adeò ut Corrad. *d. lib. 3. cap. 1. n. 17.* superfluum dicat supplicationem pro obtinenda dispensatione, quæ à nonnullis, contrariam opinionem sectantibus, in Dataria porrigitur: pensio quippe, licet Spirituale
- quid annexum habeat, attamen non est beneficium Ecclesiasticum, saltè propriè dictum; indeque ex parte hominis illegitimi nulla apparet incapacitas, pensionem acquirendi, si modò primà Tonfurà fuerit insignitus, dum ex stylo Curie nemini, qui Clericorum fortè non reperitur adscriptus, conferri solet; sine Tonfura autem Clericatus non acquiritur.

QUÆSTIO III.

An liberi, ex illegitimi patris legitimo thoro descendentes, etiam sint irregulares?

- 7 **N**egandum existimo cum Lotterio de *Re benefic. lib. 2. q. 48. n. 7. & seqq.* Corrado in *praxi beneficior. lib. 2. cap. 12. num. 107. cum seqq.* & aliis, quos citat & sequitur Eminentiss. Petra *d. tom. 4. pag. 315. num. 53.* partim quia, qui natus est ex thoro legitimo, legitimis accensetur: partim quia parentum culpa non refunditur in liberos, sine culpa procreatos: partim quia, si legitimi liberi, ex parte illegitimo descendentes, forte incapaces reputentur jurium, quæ deberent obtinere ex persona patris, saltè incapaces non erunt facultatum aliarum, quæ cuiusque competunt ex persona propria. Certè ex communi DD. hujusmodi liberi capaces sunt aliorum jurium, privilegiorum, & dignitatum: cur ergo ab Ordinibus & beneficiis arceantur? Imò, ut refert laud. Petra *pag. 326. num. 54.* Rota Rom. in *una Leodiens. seu Aquigranens. Canonizat. dig. 7. Martii 1701.* invalida censuit esse statuta, per quæ, non accedente Sedis Apostolicæ consensu, legitimi, ex legitimis nati, ab Ordinibus & beneficiis excluduntur.

SUPPLEMENTUM

AD

TRACTATUM V.

DE

POTESTATÆ JURISDICTIONIS.

CAPUT I.

De Jurisdictione in genere.

SUMMARI A.

1. *Imperium differt à Jurisdictione in genere. 2. & seqq. Adstruuntur textus contrarii. 5. & seqq. Conciliantur cum nostra sententia. 8. & seqq. Pluribus ostenditur, imperium merum esse veram speciem Jurisdictionis. 12. & seqq. Dilucidatur argumentum contrarium.*